EMINENTISSIMO PRINCIPI ANDREAE CORSINI S.R.E. CARDINALI EPISCOPO...

Federico Vannini

EMINENTISSIMO PRINCIPI

ANDREAE CORSINI

S. R. E. CARDINALI EPISCOPO SABINENSI

ATQUE ORDINIS SERVORUM B. M. V. PROTECTORI

SE SUASQUE THEOLOGICAS THESES

DE CHRISTO DOMINO

DIVINAE INCARNATIONIS TERMINO

EJUSDEMQUE PRAEROGATIVIS, DIGNITATE, OFFICIIS, REDEMPTIONE, ET GRATIA

D. D. D.

FR. FRIDERICUS VANNINI PISTORIENSIS

IN FLORENTINO DIVAE ANNUNCIATAE COENOBIO

THEOLOGIAE AUDITOR.

FACTA CUILIBET POST TERTIUM CONTRADICENDI POTESTATE.



FLORENTIAE MDCCLXXXV.

Typis Regiae Celsitudinis Per Cajetanum Cambiagi

SUPERIORUM PERMISSU.



EMINENTISSIME PRINCEPS

Quonam meo fato, PRINCEPS EMINENTISSIME, *factum fuisse dicam, ut dum hodierna luce ancipiti huic valeae me committo, Tu potissimum interesses, cui labores hos qualescumque meos consecrarem? Propitio certe fato dicam, longeque faustissimo. Tu namque Ille ades, qui nedum Maecenatis Amplissimi partes explere valeas, sed cui fere uni*

 lucu-

lucubrationes istae inscribi deberent. Nec Ego quidem plura commemorabo, quibus appareat, nihil illi timendum fore, quem Nominis Tui protegat dignitate. Cuinam enim ignotum esse poterit, quantus & hic Florentiae primum, & postmodum Romae Familiae Tuae splendor accesserit, quo illustriores omnes non aequare modo, sed superare propemodum possis? Aut quemnam poterit latere, quot Familia Tua domi, forisque, pace, belloque, nec Reipublicae tantum, sed & Ecclesiae Viros dederit eximios sane, atque celebratissimos? Illud itaque potius commemorabo, cur hae deberent lucubrationes Tuo Nomine exornari. Quartus jam es ex amplissima Corsinorum Gente, qui Romana praefulgens Purpura, Ordinem Servorum Mariae, cui ab ineunte adolescentia nomen dedi, Protectoris dignitate, majestateque tuearis. Magnus enim ille Patruus Tuus Clemens XII. quam a Nereo Patruo acceperat Familiae Nostrae tutelam, singulari beneficio inter maximas Summi Pontificatus curas retentam, Nereo ex Fratre Nepoti commendavit, quo vita functo, eam Tu suscepisti, summaque administras humanitate, atque effusa in omnes benevolentia. Quae vero, quantave in Nos Omnes inde dimanaverint beneficia haud recensebo, quando ea aeternum memori mente reposita gerimus. Tibi ergo hereditario quodam veluti jure, Tibi grati animi titulo munusculum hocce debetur, quod etsi sentio quam sit exiguum, ingentem tamen devoti animi erga Te mei significationem ostensurum confido. Illud si ea, qua consuevisti, benignitate digneris accipere, incertum disputationis eventum minime pertimescam. Accedit postremo, Magni Augustini de Gratia Christi Reparatoris doctrinam hisce Propositionibus contineri, quae Domui Tuae, Tibique quanto semper loco fuerit, edita doctissimorum Virorum Bottarii, & Fogginii in magnificis Tuis Aedibus, ac celeberrima Bibliotheca scripta testantur. Adsis ergo, Princeps Eminentissime, *susceptamque laetissimis auspiciis Disputationem, Patrocinio Tuo sustentans, ac fovens, dones fausto exitu decorari.*

Mirabile illud ex duabus in unam Personam coalescentibus naturis compositum, Unigenitum scilicet Dei Filium Hominem factum, Incarnationis *Terminum* in Scholis vocatum fuisse, explorate res est. De ipsius Dotibus, Dignitate, Adoratione, Officiis, Redemptione, Satisfactione, ac Meritis plura tradi consueverunt a Theologis, quae eo diligentius nunc temporis pertractanda esse videntur, quia Socinianis iniquissimo animo redemptioni, satisfactionique Christi adversantibus, dexteras junxere Deistae, beneficium Incarnationis, omnemque revelatam Religionem ad fabulas amandantes. Eapropter e re nostra esse visum est, si ad postremos hosce refutandos, illi, quam de Christo, ejusque Redemptione agit, disputationi, eam conjungeremus, quam de fructu Incarnationis praecipuo, seu de Christi Gratia tractationem sibi vindicet. Cum enim superbi isti Revelationis Osores eo potissimum titulo Christianam adoriantur Religionem, quia in indito cuique a natura lumine, & in naturali lege hominum mentibus insculpta satis praesidii esse putent ad salutem, in quo a Pelagianorum vestigiis non recedunt: res profecto adversus illos confecta videri poterit, si, demonstrata jam Christianae Religionis veritate, nihil sine Gratia Christi Reparatoris hominem posse ostendatur, secundum praesentes, quas habet, vires, quod illi utile sit ad salutem. Nostra ergo haec erit methodus, ut ubi excellentiam, dignitatemque Salvatoris Jesu Christi stabiliverimus, atque in eo propugnaverimus officia Mediatoris, Pontificis, Redemptoris, quibus tota ipsius satisfactio, & meritum continetur, tum demum uberrimum exponamus fructum, quem satisfactione, meritoque suo nobis acquisivit, donum videlicet multiplicis Gratiae, quo vocamur ad fidem, justificamur, & in justitia perseverantes, misericorditer a Deo coronamur. In eo autem exponendo, necessitatem Gratiae Christi ad quodlibet opus bonum in statu naturae per peccatum vitiatae peragendum, impotentiam se disponendi ad Gratiam per opera bona naturalia, & efficaciam Gratiae Christi Reparatoris potissimum persequemur.

DE CHRISTI DOTIBUS.

Dum hic de Christi Dotibus dicere aggredimur, eas spectamus, quae humanae ipsius naturae ex consortio Deitatis obveniunt: alibi eam, quae divinam respiciunt naturam, fuimus prosecuti. Hae autem Dotes, vel ad Christi Animam tantum, vel ad totum pertinent Christum. Inter priores occurrit principio *Scientia*, quae intellectivam Christi facultatem perficit, atque exornat. Non defuere ex veteribus sive Patribus, sive Theologis, qui Christum dicerent sola increata, divinaque Scientia praeditum, creatam, atque humanam haud assumpsisse: sicuti ex adverso plures inter priscos Haereticos, humanam Scientiam, qua Christi Anima exornatur, non divinitus infusam, sed paullatim sub Praeceptoris magisterio acquisitam fuisse fabulabantur. Primi illi Patres, atque Theologi possunt aliqua interpretatione in concordiam cum ceteris revocari: posteriores a catholica veritate aberrantes, nequeunt temeritatis notam effugere: unde sicut adversus priores creatae, humanaeque Scientiae existentia in Christo adstruenda, ita adversus alios hanc Scientiam non paullatim studio, & labore partam, sed ab ipso Conceptionis initio divinitus infusam, non exilem, atque imbecillem, ut in ceteris Hominibus usuvenire solet, sed omnino fuisse plenissimam, est commonstrandum. Perfectia vero Scientiae omnis createe, cum sit juxta Apostolum visio illa, qua non *per speculum, & in aenigmate, sed facie ad faciem* Deum intuemur, neque hanc Christi Scientiae perfectionem defuisse, dum in terris degeret, indubia res est: quamvis diligens studium requiritur ad Christi passiones, doloresque cum beatifica visione conciliandos. Quantumlibet autem intuitiva Animae Christi visio perfecta debeat cogitari, tanta tamen esse non potuit, ut ad omnimodam Divinitatis comprehensionem assurgat, repugnante humanae, finitaeque naturae conditione, quae infinitum ab eo, quod limitibus coercetur, comprehendi non patitur. Scientiam consequitur *Libertas*, quae sicut intellectum Scientia, ita ipsa perficit voluntatem. Libertate Christi Animam fuisse praeditam inter Theologos convenit, quibus tamen perdifficilis occurrit nodus, dum est ea cum mandato Patris de subeunda morte concilianda. Id ut faciant nullum Alii volunt impositum Christo moriendi praeceptum, nullum Alii, nisi ab ipsius acceptatione dependens, & a quo petere posset dispensationem. Nobis duo ex sacris Literis comperta sunt: Christum volentem morti traditum, cum fuerit ex Isaia oblatus, quia ipse voluit; & nihilominus ipsum ingredientem mundum accepisse a Patre moriendi praeceptum, quod violare non potuit. Haec autem duo qua secum ratione cohaereant, etsi non satis perspicue exponere possemus, in dubium verti non posse sanus diffitebitur nemo. Adest tamen, ut nobis quidem videtur, probabilis ratio utrumque componendi.

Quae Dotes ad totum pertinent Christum, eae sunt *Sanctitas*, omnia gratiarum, & donorum genera complectens, quaeque ex ea consequitur, *Impeccantia*. Duplex enim est Sanctitatis effectus, alius quidem quo Subjectum, cui veluti intrinseca forma inhaeret, Deo gratum facit, omnique virtutum cumulo auget, alius, quo illud a peccato praestat immune. S.r Christi priore modo spectata duplex distingui debet. *Sub-*

stan-

ſtantialis altera, & increata, altera *accidentalis*, atque creata. Subſtantialis Sanctitas non differt in Chriſto ab ipſa Verbi Divini Sanctitate; quia cum Sanctitas ſit ex genere proprietatum moralium, quae ex aequo afficiunt Perſonam, atque naturam, cumque unio hypoſtatica fiat in Perſona Divina, hinc ipſa Verbi Dei Sanctitate humana Chriſti natura ſancta redditur. Hoc tamen haud impedit, quin Chriſti Anima accidentali, ſibique propria Sanctitate repleatur, requieſcente ſuper ipſam, ut in Scripturis dicitur, Spiritu Dei. Continet autem poſterior haec Sanctitas habitualem charitatem, actualis gratiae dona, gratias gratis datas, dona Spiritus Sancti, virtuteſque omnes morales, demptis tamen imperfectionibus, quae vel peccatum ſupponunt, vel ex eo ortum trahunt. Fidem vero, ac Spem Theologicam inde negant Theologi in Chriſto fuiſſe, quia cum viſione beatifica nequeunt componi. Chriſti Sanctitas poſteriore modo ſumpta, prout nempe illum a peccato praeſtat immunem, duo complectitur, & ut nulla in ipſo vel leviſſimae culpae labes fuerit, & ut nec ulla hujuſmodi labes eſſe potuerit. Et catholicae quidem aures audire non ſuſtinent veterum quorumdam Haereticorum impietatem, Chriſti carnem peccato obnoxiam ſomniantium, quam Joannes Ferus, & Calvinus renovarunt, deſperationis crimen in Chriſto morti proximo notantes. Nihil enim expreſſius in utraque occurrit Scripturarum pagina, quam Chriſtum non feciſſe peccatum, non fuiſſe dolum in ore ejus, tentatum fuiſſe per omnia pro ſimilitudine, ſed abſque peccato. Sed nec potuiſſe Chriſtum in peccati periculum adduci, ita ut non modo peccatum non haberat, ſed neque peccandi potentiam, pro certiſſimo haberi debet. Sumpſit namque Chriſtus ex Adamo carnem concupiſcentiae motibus minime ſubjectam, beatificae viſionis gaudio ab ipſo conceptionis initio potitus eſt, & quod rei caput eſt, hypoſtaticae unionis vinculo ira Humanitas cum Verbi Perſona ſociata fuit, ut inde ſubſtantialis Sanctitas, & peccandi impotentia derivent. Modo en quae ex praehabita doctrina conſequantur

PROPOSITIONES DISPUTANDAE.

I. Fuit in Chriſto praeter divinam, atque increatam, Scientia quoque humana, & creata.
II. Eaque pleniſſima,
III. Et divinitus infuſa a conceptionis exordio.
IV. Ab ipſo quoque conceptionis exordio Anima Chriſti beatifica Dei viſiona potita eſt.
V. Per eam tamen, etſi perfectiſſimam, infinitam Dei naturam adaequata non comprehendit.
VI. Liber omnino fuit Chriſtus in ſuis actionibus,
VII. Et in ipſa etiam morte ſubeunda,
VIII. Mandato Paterno de ea ſubeunda minime obſtante.
IX. Habuit Chriſtus Sanctitatem, & Gratiam ſubſtantialem;
X. Tum ejus Anima Sanctitate ſibi propria, & adventitia donata eſt,
XI. Quae habitualem charitatem, & gratiam;
XII. Charitatem quoque, & gratiam actualem;

XIII. Gratiasque gratis datas, virtutes morales, & dona Spiritus Sancti complectebatur,

XIV. Christus non modo Sanctus fuit, quia omni gratiarum genere exornatus;

XV. Sed ideo quoque Sanctus, quia nec ullum unquam admisit peccatum,

XVI. Nec peccatum admittere ullo modo potuit.

DE CHRISTI DIGNITATE, ET OFFICIIS.

Christi Dotes excipiunt ipsius *Dignitas*, ob quam adorationem nostram meretur, & *Officia*, quibus a Deo constitutus est Pontifex noster, ac Mediator ad reconciliandum irato Numini humanum genus. Et prima, ac praecipua Dignitas, ex qua ceterae profluunt, est Dignitas Filii Dei. Duplicem autem novimus esse Filiationem, aliam, quae ex natura procedit, per quam Filius ex ipsa Patris substantia gignitur, aliam, quae ex adoptione, per quam Filius aliunde genitus in locum, & hereditatem naturalis Filii adsciscitur. Christum, qua Verbum Patris est, Unigenitum esse, & ex ipsa Paterna substantia ab aeterno genitum Filium Dei, non est hic ostendendi locus, cum id aliis curis adversus Arianos plenissime confecerimus. Sed novam erroris materiem praebuerunt Ecclesiae saeculo octavo Episcopi duo Felix, & Elipandus, ille quidem Urgellitanus, hic Toletanus. Ubi enim in Scripturis sanctis Christus ubique praedicatur Unigenitus Dei Filius, ratione nimirum Personae Divinae, quae utramque complectitur naturam, ipsi nefario ausu humanam naturam a naturali Dei filietate excluserunt, eam sola Adoptione in hanc dignitatem translatam asserentes, & sic Christum dividentes, duos invexerunt Filios, alterum Dei naturalem, alterum Hominis adoptivum. An isti Haeresim renovarint Nestorii, liquido nobis non constat: illud tamen certum est, perniciosum errorem propugnasse, adversus quem Adrianus Papa, Paulinus Aquilejensis, Francofordienses Patres, Alcuinus, aliique stilum acuere. His ducibus quamlibet a Christo Adoptionem arcemus, eumque juxta utramque naturam Filium Dei Naturalem defendimus. Neque aliquid Catholicae veritati deperire monstramus ex eo, quod in sacris Literis appelletur Christus Primogenitus in multis fratribus, Praedestinatus Filius Dei in virtute, Servus Dei, minor Patre. Enunciantur enim haec, & his similia de forma Servi a Filio Dei assumpta, sed naturalis filietatis Dignitatem minime labefactant.

Reliquae Christi Dignitates ad auctoritatem spectant, quam ipse accepit a Patre super omnia creata, praecipue vero super omnem Ecclesiam. Eminent inter eas Dignitas *Regis*, *Capitis*, *Judicis*. Regem constitutum fuisse a Deo Christum, frequentissime veteris Foederis Oracula testantur, & in libris Evangeliorum recipit Christus munera sibi, tamquam Regi, a Magis oblata. Etsi vero propter jura filietatis naturalis plenum haberet in omnia Mundi Regna dominium, quia tamen venerat Homines humilitatem docere, eosque a terrenis ad caelestia revocare, idcirco noluit ullam in terris temporalem exercere potestatem, sed ipsis Saecularibus Potestatibus sese subjicere, & ab ipsis morti adjudicari voluit, significans, regnum ejus de hoc Mundo non esse, & meliorem in caelis hereditatem Fidelibus repromittens. Hoc obcaecati Judaei, qui Messiam regio splendore

dore circumdatum, terrenaque potentia insignem ex Prophetarum Vaticiniis perperam intellectis adventurum sperabant, humilem Regem Christum dedignati, in illum credere detrectarunt. Datus est etiam Christus a Deo Caput hominum, & Angelorum, quamvis paullo diversa ratione. Hominum namque Caput est non tantum dignitate, atque excellentia, sed etiam influxu in singula membra Corporis, quod est Ecclesia, quam sanguine suo acquisitam, jugi gubernat patrocinio, omnia charismatum dona ipsi abunde subministrans. Tanta est autem Capitis Christi cum Ecclesiae Membris connexio, ut non dubitarit Apostolus ad Corinthios scribens, totam Christi nomine Ecclesiam denotare. Angelorum vero Caput est tum praeeminentia & dignitate, qua melior est ipsis effectus, tum auctoritate, & potestate, qua omne nomen illi subjicitur, tum denique multiplicis gratiae largitione, quam ad Ephesios capite tertio Paullus significat. Patrem non judicare quemquam, sed omne judicium Filio dedisse de semetipso testatur Christus apud Joannem. Hinc Judicis Dignitas in eo fuisse dignoscitur, quam Prophetarum locutiones ipsi conferendam praenuntiaverant.

Ex quo fit Christus, etiam qua Homo est, Filius Dei naturalis, non adoptivus, consequens fit, unica ipsum, & summa *Adoratione* colendum esse, non vero alia, quae in Deum, alia, quae in Hominem referatur. Cum sit autem Adoratio multiplex, & aliquando etiam Creaturis tribuatur, de illa hic Adoratione sermo est, quam Latriae appellant, quaque nostram erga Deum reverentiam, & subjectionem testamur, tum propter infinitam ipsius excellentiam, majestatemque, tum propter summum, quod in res omnes obtinet, dominium. Illa ergo Filietatis Dignitas, qua efficitur, ut humana Natura ad consortium Deitatis evecta, in Unigeniti Dei jura transferibatur, hoc praestat, ut cujus summae Adorationis dignum est Verbum, ejusdem prorsus, indivisaeque dignus evadat Homo Christus.

Officia Christi ejus *Mediatione* comprehenduntur. Quod enim tamquam Sacerdos obtulerit semetipsum hostiam, & redemptionem pro nobis in ara Crucis, id Mediatoris est, qui Hominem Deo reconciliandum susceperat. Duplex porro cum sit Mediator, Naturalis alter, alter vero Moralis, utriusque partes Christus implevit. Mediator namque naturalis est, quia in se conjungit naturam partium, quae sunt conciliandae, pertinens ad Deitatem, quia gerit Verbi Personam, ad Humanitatem, quia Filius est Hominis. Erroris proinde convincuntur Ariani, mediam quamdam Christo tribuentes naturam, inter divinam, humanamque, & Monophysitae, unicam in eo post adunationem agnoscentes naturam, cum naturalis esse nequeat Dei, hominumque Mediator, nisi in se Deum jungat, & hominem. Est vero Mediator Moralis, quia omnia perfecit, quae ad Mediatorem pertinent. Fuit namque Paternae ad Homines voluntatis internuncius, atque interpres, arbiter pacis, & reconciliator Dei, Hominisque. interpellator pro humano genere, & advocatus; sponsor denique pro peccatis Hominum ad Deum, pro quibus pretium se, & redemptionem dedit in sanguine suo. Verum Moralis Mediatoris officium a Christo abstularunt Apollinaristae, & Monothelitae, illi humanam ab eo mentem, humanam isti voluntatem removentes, cum nequeat solus Deus Mediatoris munere defungi. Sed neque id solus Homo potest, quia infinitum Mediationis operibus pretium imperitiri haud valet. Hinc inter oppositos Stancari, & Calvini errores,

quo-

quorum primus solum Hominem, posterior solum Deum Mediatorem statuebat, medie est Catholica veritas docens, utrumque ad Mediationem concurrere, Hominem, ut opera subjectionis exerceat, Deum, ut fontis humanae naturae operibus infinitam tribuat dignitatem. Idipsum vero de Christi est Sacerdotio asserendum. Eadem namque, ut supra innuimus, ratio est Mediatoris, & Sacerdotis, atque hujus munus ab illo descendit. Sacerdotio insignem fuisse Christum, dum in terris degeret, & nunc etiam in Coelo regnantem, Sacerdotis officium exercere, constans in Scripturis res est. In utraque autem natura sacrificium offerre, ex paullo ante dictis manifestum fit. Verum circa Mediatoris, & Sacerdotis officia nemo gravius erravit Socinianis, qui etsi agnoscant, eo sensu appellari posse Christum Mediatorem, quia fuerit ad Homines Dei nuntius, Hominumque ad Deum advocatus, negent tamen ita fuisse Mediatorem, ut peccata Hominum in se suscipiens, pro iis irato Deo fecerit satis, aut ita fuisse Pontificem, ut semetipsum dederit hostiam, ac redemptionem pro nobis. Horum errores, quae totum Incarnationis fructum auferentes, spem omnem nostram inanem faciunt, diligentius in sequentibus persequemur.

PROPOSITIONES.

I. Christus ita est Filius Dei Naturalis,
II. Ut neque secundum Hominis naturam dici possit Filius Dei Adoptivus.
III. Regia etiam insignis est dignitate.
IV. Caput est Hominum,
V. Atque Angelorum,
VI. Plenissimamque habet Judicis potestatem.
VII. Summa proinde Latriae Adoratione dignus est,
VIII. Non modo, qua Verbi in se gerit Personam,
IX. Sed etiam, qua Homo in unitatem Personae Verbi assumptus.
X. Mediatoris ei competit officium, ac primo Naturalis,
XI. Tum etiam Moralis,
XII. Hujus autem postremi partes exsequitur non praecise, qua Homo est;
XIII. Nec praecise, qua Deus;
XIV. Sed qua est Homo Deus.
XV. Sacerdotis quoque, & Pontificis obtinet dignitatem;
XVI. Sacrificia offerens Patri, prout est Homo Deus.

DE REDEMPTIONE, SATISFACTIONE, ET MERITIS CHRISTI.

Si quod est Christi officium, quod repetitis, licet inanibus ausis Haeretici Homines sollicitaverint, illud certe est *Redemptoris* officium. Ut enim silentio premam priscorum temporum Haereticos, quanto impetu Redemptionem Christi aggressi fuerint Sociniani neminem latet. Illi enim ideo veri Mediatoris, Sacerdotisque officia in Christo detrectarunt agnoscere, ne scilicet faterentur, Illum nobis a Patre datum pro peccatis nostris sponsorem, & hostiam, ea vere in se transtulisse, & fuso Sanguinis pretio, per Sacrificium Crucis nos Deo reconciliasse. Neque vero negent perditi Homines, passum fuisse ac mortuum Christum, aut illi ratione

ali-

aliqua Redemptoris nomen attribui possa; sed alia prorsus de caussa, ac fides habet Catholica, passum, aliaque de caussa nominandum volunt Redemptorem. Ubi enim profitemur Catholici, Christum loco nostri morientem, peccatorum nostrorum poenas Patri pependisse, & ideo esse Hominum Redemptorem, quia soluto pretio, interpositaque satisfactione eos a peccati maledicto liberavit. isti ex adverso ideo passum, mortuumque contendunt, ut doctrinam confirmaret, quam Hominibus annunciaverat, iisque patientiae, aliarumque virtutum suppeditaret documenta, eoque in sensu dici posse improprie, ac metaphorice Hominum Redemptorem. Perniciosum hunc errorem, ut pro virili convelleremus, haec duximus ex Sacris Voluminibus statuenda, Christum nempe non improprie, non metaphorice, sed vere persoluto pretio nos redemisse; oblatum fuisse pro nobis, & loco nostri morientem, satisfecisse Patri pro poenis, quae peccatis erant nostris debitae, aeternaeque mortis reatum expiasse. His adjecimus de perfectione Satisfactionis Christi lucubrationem, quatenus adversus Eosdem innotesceret, non ex acceptantis Dei liberalitate, sed ex justitiae praescripto Deo satisfactum fuisse pro nobis, nec voluisse Illum absque ulla satisfactione peccata Hominum condonare. Inde etiam consequitur, non parem modo, & aequivalentem, sed superiorem longe, ac superabundantem esse Christi Satisfactionem, quod isti negant.

Fuerunt vero actiones Christi, quibus Deo pro nobis satisfecit, non tantum satisfactoriae, sed insuper *Meritoriae*. Habuisse actiones hasce Meriti rationem inficias ire poterit nemo, qui totam nolit Ecclesiae spem evertere, quae infinitis Christi Meritis nititur. Sane cum Meritum nihil sit aliud, quam dignitas, & valor operis alicujus in ordine ad praemium, cumque ex pacto Dei cum Christo inito, si posuisset Christus pro peccato animam suam, visurus esset semen longaevum, fortiumque spolia divisurus, ejus operibus Meritum inesse fuit omnino necessarium. Nec tantum sibi promeruit Christus Passione sua, sed & potissimum nobis. Sibi quidem promeruit gloriam, nominis exaltationem, Gentium cultum, & adorationem, subjectionem omnium Creaturarum, Ecclesiae suae firmitatem, splendorem, incrementum: nobis vero remissionem peccatorum, omniaque Gratiarum genera, quibus praedestinamur, vocamur, justificamur, vitam aeternam assequimur. De hoc porro uberrimo Meritorum Christi fructu relate ad nos, nempe de Gratia Christi Reparatoris paullo inferius dicendi erit locus.

PROPOSITIONES.

I. Christus est Hominum Redemptor;
II. Non quia improprie, ac metaphorice,
III. Sed quia vere persoluto pretio Ipsos liberavit.
IV. Peccata quoque nostra in semetipsum transtulit factus sponsor pro iis ad Patrem,
V. Et semetipsum dedit sacrificium pro ipsis, in Cruce immolatus:
VI. Quo Sacrificio peccata expiavit. nosque reconciliavit Deo,
VII. Exhibito Ipsi pretio verae Satisfactionis, eoque soluto.
VIII. Fuit autem Christi Redemptio, ac Satisfactio non solum delicto aequivalens,

IX. Sed copiosa etiam, atque superabundans
X. Fuit etiam ex rigore justitiae, non ex liberali Dei acceptatione;
XI. Et ad omnes juris regulas exacta,
XII. Non solum autem Christus pro nobis satisfecit, sed & sibi promeruit, & nobis,
XIII. Idque statim ac in mundum ingressus est.
XIV. Sibi quidem promeruit gloriam corporis, exaltationem nominis, Gentium cultum, & adorationem, subjectionem omnium Creaturarum, Ecclesiae suae splendorem, ac firmitatem.
XV. Nobis vero peccatorum remissionem, omniaque Gratiarum genera.

DE CHRISTI GRATIA.

Meritorum Christi fructum, quod ad nos attinet, in eo positum esse indicavimus, quod peccatorum remissionem, Gratiasque omnes, quibus praedestinati, atque justificati ad aeternam perducimur felicitatem, nobis sit abunde promeritus. Doctrinae ergo ordo postulat, ut de eo aliqua disputemus. Verum sublimissimum cum sit argumentum istud, amplissimumque, potiora quaedam solummodo capita examinanda suscipiemus. Et primum, quia multiplex est vocabuli Gratiae acceptio, illud operae pretium fuerit praemonere, nos hic Gratiae nomen adhibere in ea significatione, quae in Scripturis, & Patribus frequentissima occurrit, ad denotandum nempe supernaturale donum Homini lapso a Deo gratis concessum intuitu meritorum Christi, in ordine ad vitam aeternam. Hanc Gratiam, quae communiter dicitur *Gratia Reparatoris*, multipliciter novimus a Theologis dividi consuesse. Sed quoniam eas persequi partitiones praesentis non est instituti, de Gratia, quam *gratum facientem* appellant, & quidem de sola *actuali* agemus. De hac enim sola adversus Pelagianos, Semipelagianosque Augustinus agebat, dum ad singula bona opera Gratiae necessitatem asserebat. Ut autem cum ipso necessitatem Gratiae Christi adstruamus, discernenda sunt primo dogmata Pelagianorum, ac Semipelagianorum ab iis sententiis, quae apud nonnullos Catholicos Theologos occurrunt. Praecipuum erroris caput Pelagianorum erat, Augustino teste, Gratiam Dei, atque adjutorium non ad singulos actus dari, quia natura humana sibi sufficiens est ad justitiam per liberum cujusque Arbitrium. Et quamvis aliquando Pelagius interioris alicujus Gratiae necessitatem fassus fuerit, nunquam tamen veram fassus est Christi Gratiam, quae voluntatem ad agendum determinat, & Gratiae necessitatem non ad agendum simpliciter, sed ad facilius agendum agnovit. Hoc vero erat potissimum Semipelagianorum dogma, quod vellent, aliquod saltem bonorum operum, & Fidei initium, quod non esset a Gratia, primam in nobis Gratiam praecedere. Duos igitur hos errores refutaturi, non solum ad singulos actus bonos, aeternaeque vitae meritorios, sed etiam ad ipsa boni operis, Fideique initia Gratiam ita necessariam esse statuimus, ut neque ex seipso sit potens Homo aliquid cogitare, quod ipsi prodesse queat ad salutem.

Hac autem firmata Catholica doctrina, descendunt Theologi ad Gratiae necessitatem investigandam relate ad quaedam opera bona peculia-

ria,

ria, quae licet pro assequenda aeterna felicitate nihil habeant roboris, dubitandi tamen locus est, an sine Gratia fiari valeant. Atque ad tria generatim capita conferri ea possunt, de quibus est controversia, an Gratiae requirant adjutorium, nimirum ad bonorum operum Moralium perfectionem, ad Mandatorum observantiam, ad Peccatorum fugam, Tentationumque victoriam. Bona opera Moralia quod attinet, scitum vulgo est, triplici ex fonte eorum bonitatem derivari, ex objecto, officio, sive substantia operis, ex fine proximo, rectaeque rationi consentaneo, & ex fine ultimo, qui Deus est. Jam vero inter omnes fere convenit, in potestate Hominis etiam Gratia non adjuti esse, agere bonum aliquod Morale, quod tale sit officio, & fine proximo, cum, ut saepe tradit Augustinus, non adeo detrita sit in Homine per peccatum imago Dei, ut nulla in eo velut lineamenta remanserint, propter quae dici possit, Eum, etiam in ipsa impietate sua aliquid sapere legis, vel facere. Sunt tamen eorum, qui sine Gratia operantur, quae videntur laudabiliter gesta, germen inutile, atque marcescens, ut scite Beatus Prosper observat, quia nihil ad veram conferunt pietatem, & in praxi vix, ac ne vix quidem contingit, ut aliquo philautiae, inanisve cupiditatis vitio minime laborent, nec augeant, ut idem tradit Prosper, peccati pondera, quin minuant. Deest quoque operibus illis deliberata relatio in Deum, ut finem ultimum, quam sine Gratia esse non posse propugnamus, licet sit penitus necessaria, ut opus aliquod sit undequaque perfectum. Hinc Juliano Romanorum virtutes objicienti, veras non fuisse virtutes, nec opera omni ex parte bona ex eo demonstrat S. Augustinus, quod alioquin sterilia non essent, cum fieri nequeat, ut Deus bonus, & justus bonos in aeternam mortem missurus sit. Praeceptorum Dei observantia vel secundum substantiam consideratur, vel, secundum modum: iterumque vel de facilioribus Praeceptis sermo est, vel de omnibus etiam difficilioribus. Faciliora quaedam Praecepta, nulla urgente tentatione, servari sine Gratia posse quoad operis officium, & quoad finem rationi consentaneum, superius dicta commonstrant, cum eadem sit ratio boni operis Moralis, ac observantiae Praecepti. Vix tamen & in hac observantia contingere poterit, ut exitioso tumore non sit infecta. Omnia vero Legis Praecepta, neque quoad operis substantiam, absque Gratia servari posse exploratum habemus, cum gravissimae plerumque tentationes, quas vincere Gratiae donum est, impediant difficiliorum Praeceptorum complementum. Id omnium maxime dici oportet de primo, ac magno Mandato dilectionis Dei. Homo enim per peccatum non tantum supernaturalibus spoliatus donis, sed & in naturalibus facultatibus gravissime laesus, ita in praesenti statu voluntate mutabilibus adhaeret bonis, ut summo bono adhaerere sine Dei nequeat auxilio. Rejiciendae vero sunt illorum distinctiones, qui Deum, saltem ut Auctorem Naturae, & amore quodam imperfecto diligi posse putant liberi arbitrii viribus. Deus enim, etiam ut est Auctor Naturae, si non diligitur super omnia, ita ut Creaturis praeferatur, male, inordinateque diligitur; ipsum vero Creaturis praeferre, Creaturasque ad eum referre, sine ipsius ope non possumus. Consequitur porro ex hucusque dictis, non posse Hominem Gratia destitutum diu vitare lethalia peccata. Cum enim persaepe necesse sit ea observata praecepta, a quibus servandis concupiscentia, gravissi-

mae-

maeque tentationes retrahunt, fieri nequit, quin, eo violando, in lethale incidat crimen. Non quaerimus vero, utrum possibile sit venialia peccata sine Gratia vitare, quando Theologis ratum est, singulare esse Gratiae privilegium soli concessum Deiparae, e venialibus omnibus abstinere. Nec vero minus elucet Gratiae necessitas, ut de Tentationibus victores evadamus. Hanc victoriam ipsi Justi quotidie a Deo flagitant, & de obtenta gratias agunt. Possunt equidem Homines Gratia carentes Tentationem unam potentiore alia superare; sed eheu! quam funesta est victoria illa, quae vulnere in vulnus surgit.

Conjungebant Pelagiani, ac Semipelagiani recensitis modo erroribus de Gratiae necessitate, aeque perniciosum alium, quo ipsius Gratiae evertebant *Gratuitatem*. Dari enim Gratiam secundum merita nostra error erat Pelagii, qui ipsum in Diospolitana Synodo ejurare coactus est. & Semipelagiani aliquod in nobis praecedere ajebant boni operis, aut Fidei initium, cujus intuitu primam nobis Deus Gratiam largiretur & sic Utrique mendacem faciebant Apostolum affirmantem, si Gratia sit ex operibus, jam amplius eam haud esse Gratiam. Addebant vero Semipelagiani, non tantum primam Gratiam, sed ipsam quoque finalem in bono Perseverantiam esse ex meritis nostris, nescientes, Perseverantiae donum misericorditer nobis a Deo praeparari, ut saepissime divinae Literae insinuant. Dolendum vero quam maxime, Theologos nonnullos alioquin Catholicos non satis ea in parte a Semipelagianis recessisse, qui docent, primam Gratiam bonorum operum intuitu conferri. Vulgatum namque erat in Scholis Theologicis Effatum illud; *Facienti quod in se est, Deum Gratiam non denegare*. Quod Effatum quamvis permulti Scholastici de eo intelligerent, qui facit, quod in se est, ex auxilio Gratiae praevenientis, negari tamen nequit, alios intellexisse de eo, qui facit, quod in se est, ex solis naturae viribus. Hoc in censu ii potissimum sunt numerandi, qui legem aliquam, & pactum commenti fuere inter Deum, & Christum, de conferendis Gratiae auxiliis eis, qui quod in se est, ex naturae viribus fecissent. Hinc Clerus Gallicanus & paullo ante laudatum axioma, & pactum hoc inter Deum, & Christum censura merito notavit, cum illud sit indubium, Christi Gratiam esse prorsus gratuitam, nec ulla praecedere Hominis bona opera, quibus primam Gratiam advocare possit, ac promereri.

Efficacia Gratiae Christi manifeste adeo in Scripturis praedicatur, ut mirum sit, aliquos exstitisse, qui eam vertere in dubium potuerint, aut saltem ea ratione explicare, quae nativam illius vim omnino avertit. Nec enim a consensu voluntatis humanae, ut sibi audacissime finxit Ludovicus Molina, Gratiae pendet Efficacitas, sed ipsa Gratiae Efficacitas ea est, quae voluntatis consensum in nobis, non tamen sine nobis, inscrutabiliter operatur. Nec indiget Dei Gratia congruis circumstantiis, quarum ope Efficax fiat, sed ipsa congruas praeparat circumstantias, ipsa in circumstantiis omnium maxime incongruis effectum suum, in quo vult, & quando vult, sortitur. Haec illa est medicinalis Gratia Reparatoris, qua in hoc infirmitatis statu indigemus, ut bonum operemur hanc quotidie in suis precibus a Deo postulat Ecclesia, rogans, ut rebelles etiam voluntates compellat, hanc strenuus Gratiae Dei vindex Augustinus con-

tra

rra Pelagianos invicte firmavit: hanc semper ab exordio suo docuit, & nunc docet Ecclesia: hanc evertere nequeunt, quaecumque ex humanis ratiocinationibus petuntur argumenta. Quamvis autem haec Efficax Gratia semper effectum infallibiliter operetur, nec ab ullo, quantumvis duro corde respuatur, que tamen ineffabili ratione voluntates Hominum ad se trahat, nec facile est, nec forte ita necessarium explicare. Si tamen inter eas, quae circumferuntur, sententia sit eligenda, per caelestem, ac victricem Delectationem, quae suaviter, & attemperate ad Hominis naturam, ejus cor ad bonum determinet, Gratiae Efficaciam percommode exponi posse putamus.

Haec de Gratia dixisse satis sit. Quae enim de Gratia, quam humana voluntas, ei obsistendo, inefficacem reddit, & de Gratiae Distributione superessent dicenda, ea, propter temporis angustias, persequi prohibiti fuimus.

PROPOSITIONES.

I. Ad singulos actus bonos salutares necessaria est Christi Gratia;
II. Imo ad ipsa bonorum operum,
III. Et Fidei initia.
IV. Consistit autem haec Gratia non tantum in illustratione Intellectus, sed & potissimum in Voluntatis motione.
V. Potest Homo, etiam Gratia destitutus, agere aliquod opus Morale, quod bonum sit officio, & fine proximo,
VI. Licet in praxi vix contingat, ut hujusmodi bonum operetur absque Gratia.
VII. Nequit tamen sine Gratia opera Moralia deliberate in Deum, tamquam finem ultimum, referre.
VIII. Nequeunt sine auxilio Gratiae omnia etiam difficiliora Praecepta servari;
IX. Maxime Praeceptum Amoris Dei, considerati etiam, prout est Auctor Naturae.
X. Nec peccata lethalia vitare,
XI. Nec veras Tentationes vincere Homo potest sine auxilio Gratiae.
XII. Gratia est omnino gratuita, nec ulla praecedunt Hominis merita, quibus primam Gratiam advocet, aut mereatur.
XIII. Perseverare usque in finem singulare est Gratiae donum.
XIV. Theologicum Effatum = Facienti quod in se est, Deus Gratiam non denegat =, intellectum de eo, qui facit, quod in se est, ex solis naturae viribus, falsum est.
XV. Rejiciendum quoque est commentitium pactum inter Deum, & Christum, de conferendis Gratiae auxiliis ei, qui facit naturae viribus, quod in se est.
XVI. Admittenda est in hoc infirmitatis statu Gratia ex se, & ab intrinseco Efficax:
XVII. Non vero ea aut a consensu voluntatis simpliciter;
XVIII. Aut a consensu voluntatis in congruis positae circumstantiis Efficaciam suam habet.
XIX. Efficacia Gratiae recte explicari potest per victricem Delectationem, quae in cordibus Hominum suaviter bonum operetur.

DISPUTABUNTUR PUBLICE FLORENTIAE

AD DIVAE ANNUNCIATAE AEDEM

RECURRENTIBUS SANCTI DOMINICI SOLEMNIIS

DIE IV. AUGUSTI ANNO 1785. HORA IV. CUM DIMIDIA POMERIDIANA.

Disputationi praeerit P. Alexander Piermei Theologiae Professor, ac Studiorum Regens.